

tur, ac aliqua prata, quæ dicuntur prata Camera, & in quibusdam vineis, fitis in tenimento dicti loci: census qui consistunt in vino, & feno, & ultra tres florenos annuatim non valent, redditus quoque proventus, & census, qui recipiuntur pro Camera nostra prædicta in Castro Martæ in ejus tenimento, qui consistunt in Domibus, vineis, molendinis, sylvis, pascuis, & pratis excepto tamen passagio, qui redditus, proventus, & census annui septuaginta floren. non excedunt, & quoddam molendinum aptum ad macinandum bladum positum in tenimento dicti Castri Griptarum, quod est Camera prædictæ valoris quinque Floren. annuatim: necnon redditus & proventus, quos præfata nostra Camera recepit in Castro, & ejus tenimento Centumcellarum, qui consistunt in pascuis, & glandibus valoris centum quinquaginta florenorum pro dote dicti Episcopi, & mensæ suæ designamus, & etiam deputamus, volentes, & decernentes animalia, quæ in prædictis pascuis Centumcellarum ex parte prædicti Episcopi mittentur pro prædictis pascuis dumtaxat fumendis, possint, & debeant per pascua provincie nostræ Patrimonii Sancti Petri in Tuscia absque solutione herbacii, & etiam alicujus pedaggi, seu Gabellæ ire redire, & libere transire, quoties fuerit oportuim.

Dos Capituli.

§. 7. Et insuper pro hujusmodi dote dd. Capitulis prædictam Ecclesiam Sancti Flaviani, cum Capellis sibi annexis, & dependentibus ab eadem valoris ducentorum florenorum tenore præsentium incorporamus, annectimus, & unimus, ac volumus, & ordinamus, quod Beneficia obtinentes in eadem sint Canonici Cathedralis Ecclesiæ supradictæ, medietatemque fructuum, & reddituum, ac proventuum ruralis ecclesiæ Sanctæ Lucie Paterno d. Balneoregionis Diæcesis, quæ quidem medietas ad censum florenos auri ascendit eidem capitulo tenore præsentium, concedimus Donamus, annectimus, incorporamus, & unimus, ita quod idem Capitulum hujusmodi medietatem dictorum fructuum, reddituum, & proventuum, si ipsa ecclesia Sanctæ Lucie nunc vacat, vel quam primum eam vacare contigerit, autoritate propria libere percipere, & in usus suos convertere possint, cujuscumque licentia minime requisita, prædicta poderia, seu redditus, & emolumenta, quæ dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Lateranensis, & ipsa Ecclesia in territorio dictæ Civitatis Montis Flaconen. percipiunt, & percipere consueverunt, in quibuscumque rebus consistant valoris annuatim quinquaginta florenorum, necnon redditus, & proventus, quos dicta Camera jam in Sancto Savino inter Tuscanellam, & Martam percipere consuevit, quæ valoris annui centum florenorum existunt, pro dote dicti Capituli assignamus, donamus, & etiam deputamus, ac volumus, quod si hujusmodi assignationes, & deputationes nostræ ultra prædictas summas quingent. florenorum auri pro Capitulo supradictæ modo, vel alias fuerint reperti, nihil possit ab eisdem Episcopo, & Capitulo de majori valentia peti, seu exigere valeat, quoquo modo, seu deduci, sed totum in ipsorum Capituli, & Episcopi commodum cedat, aut si forte minus reperiantur præmissa valere, nihil petere, vel exigere valeant idem Episcopus, & Capitulum ultra illa non obstantibus quibuscumque litteris nostris super hoc quoruncumque tenorum existant; quas quatenus huic ordinationi nostræ possint esse contrariæ viribus vacuum omnino, & nichilominus decernimus fore firmatis quoad illa contenta in eis in suo robore duraturis.

§. 8. Has igitur limitationem, uniones, annexiones, incorporaciones, concessiones, donationes, deputationes, & assignationes nostras sic factas, & utiliter ordinatas, perpetuis valituris temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, autoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præminentie, ordinis, aut status qualicumque perfulgeat dignitate hujusmodi limitationem, & alia præmissa per nos, ut præmittitur facta, seu aliqua, vel aliquid de contentis in eis quovis quæsito colore, modo, vel causa, seu occasione generaliter adinventis turbare; seu quomodolibet impedire præsumat. Nos enim irritum decernimus, & inane si secus super his a quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Robur Decreto huic additum.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ limitationis unionis annexionis incorporationis concessionis, deputationis, assignationis, voluntatis, & constitutionis hujusmodi infringere &c.

Clausula.

Datum Viterbii secundo Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Dat. die 31. Augusti 1369. An. VII.

VII.

Decretum quod Oblationes, quæ obveniebant Episcopo Portuen. in Basilica S. Petri, convertantur ab Altarario in beneficium Fabricæ.

Exordium.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

IN charitatis visceribus gerentes Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, sicut filiam præ dilectam, ad ea paternis studiis libenter intendimus, ex quibus ipsius Basilicæ, & ejus statui, honoris & utilitatis proveniat incrementum, & super hoc prout expedire conspicimus, providemus auxiliis opportunis.

Decretum de quo in rubrica.

§. 1. Dudum siquidem per nos accepto, quod Episcopus Portuen. pro tempore existens in festo Nativitatis Domini, necnon in die Ramis Palmarum, & quinta, & sexta feria, & Sabbato majoris hebdomadæ, ac in festo Resurrectionis Domini; oblationes in eadem Basilica recipere consueverat; Nos ex certis causis ad hoc animum nostrum moventibus dilecto filio Joanni Cambareti, Ordinis Fratrum Minorum Professore, Altarario

GREGORIUS XI.

PAPA CCI.

ANNO DOM. MCCCCLXX.



dictæ Basilicæ mandavimus, ut oblationes ipsas alicui officiali venerabilis Fratris nostri Guidonis Episcopi Portuen. recipere non sineret, sed eas reciperet, & deductis oneribus pro Fabrica dictæ Basilicæ convertere deberet. (a)

§. 2. Volentes igitur eidem Basilicæ subsidium aliquod impertiri auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus; constituimus, & etiam ordinamus, quod idem Guido Episcopus, & successores sui Episcopi Portuen. qui erunt pro tempore nullas unquam oblationes in præfata Ecclesia, recipere, petere, seu exigere possint, ac volumus quod oblationes prædictæ, quæ per dictum Episcopum Portuensensem ibidem recipi consueverant, per Altararium dictæ Basilicæ existentem pro tempore leventur, recipiantur, & etiam exigantur. Consuetudinibus, privilegiis Apostolicis quoruncumque tenorum existant, etiam de illis, & totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis, & expressa mentio faciendæ &c. quæ omnia, & singula in quantum præsentibus obviarent revocamus, cassamus, irritamus, ac nullius esse volumus roboris vel momenti.

Clausula:

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, ordinationis, revocationis, cassationis, irritationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 10. Julii 1370. An. VIII.

Datum apud Montem Flaconem Sexto Idus Julii Pontificatus nostri Anno VIII.

Petrus Rogerii Lemovicensis, Guillelmi Comitis Bellifortis filius, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis electus est in Romano Pontificem die 30. Decembris anni 1370. qui Gregorius XI. voluit appellari: Consecratur autem Avenione die 5. Januarii sequentis anni. Hic sedit in Pontificatu a die susceptæ consecrationis Annos VII. Menses II. dies XXIII. imperantibus in Oriente Joanne Palæologo, in Occidente Carolo IV. Imp. Obiit Romæ die 27. Martii anno 1378. & sepultus est in Ecclesia B. Mariæ Novæ prope Capitolium. Vacavit Sedes dies XIII.

(a) Oblationes, quæ a fidelibus diebus hac in Constitutione enunciatis super Altare S. Petri ponebantur, ut reciperet, Portuensis Episcopo concessit Joannes XIX. anno 1026. ut in Constitutione a nobis relata Tom. I. pag. 334. ubi quoque ex Cincio Camerario Fragmentum retulimus, in quo hujusmodi oblationes singillatim recensentur.

I.

Beatum Elzearium de Sabrano in Gallia Narbonensi Sanctorum Confessorum Canoniper Urbanum PP. V. Prædecessorem suum adscriptum fuisse denunciat.

Ex Regest. in Arch. Vatis. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Proemium.

Rationi congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu Literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suam consequantur efficaciam.

§. 1. Olim siquidem felicitis recordationis Urbanus Papa Quintus Prædecessor noster provide attendens, quod Domino nostro Jesu Christo Regi Regum, & dominantium Domino, sub cujus ditione cuncta consistunt, magna gratiarum actionum, & laudum a cunctis fidelibus Christi debentur impendia, dum ipse Rex cælestis omnium scientiæ gloria, cujus ineffabilis altitudo scientiæ, & providentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura Judicii cælestis pariter, & terrena disponit; Sanctos suos per exemplaris vitæ doctrinam, & sanctitatis merita venerandos, de præsentis vitæ carcere ad æternam beatitudinem evocatos crebris coruscare facit miraculis, ac mira, & stupenda, eorum intercedentibus meritis, certis, & perspicacibus ostendens indicis, illos post labores nimios, duraque præsentis vitæ certamina quietis æternæ satiari dulcedine, palmamque cælestis gloriæ obrinere, & quod ipse opifex Deus in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis Cælorum ad ima Mundi oculos majestatis suæ insecens, & benigna consideratione discutens, beati Elzearii de Sabrano Comitris Ariani, & Baronis Aufoyis, Domini de Provincia Provinciæ oriundi, generis nobilitate præclari, sui que gloriosissimi Confessoris merita grandia, & opera mirifica, quibus ipse constitutus in sæculo lucerna luminosa respandit, atque veluti justus Judex, & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum, tanquam emeritum, & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, & laboriosa Mundi certamina, quæ servens in divinis obsequiis potenter, & patenter exercuit, æthereis sedibus collocarat, ut federet cum principibus, & solium gloriæ teneret felicitatis æternæ dulcore positus. Et ne ejusdem beati Elzearii laudabilium actuum claritas, quibus in terris constitutus effulserat, sub nubilo lateret, & tenebris obscuraretur, idem prædecessor aliqua ex eis suis literis, si super his confectæ fuissent, exprimi voluit, quas nos præsentibus inferi fecimus, ut deducantur in publicam notitiam.

Nonnullæ Elzearii virtutes recensentur.

§. 2. Hic equidem a juvenilis ætatis primordiis Dei filium tenera mente dilexit, nec diligere desistit, studia continuando salu-

Quæ Urbanum moverant ad decretuendos B. Elzeario Sanctorum honorati.

bria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis. Sed quoniam majori profecit ætate, ac in tempora prolixiora profiliit, tanto in ejus exaruit amore fervore spiritus ampliori, & sic pudicitiam adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod, licet Uxorem habuerit ætate Juvenem, & nobilitate præclaram, tamen prout ex dictæ uxoris, & confessoris ejusdem Sancti testimoniis constat, Sanctus ipse semper candore virgineo rutilavit. Præterea Sanctus ipse, qui, dum vixit in præsentis sæculo, clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, moribus elegans existit, inhonestis, & turpibus animo penitus relegatis, circa servos Christi, ac pauperes, aliasque miserabiles personas valde compatiens, se ipsum in eleemosinarum largitione, eis plerumque ministrando, munificum exhibebat: tantaque abundavit caritate, quod nil tam carum sibi erat; quin libenter erogasset, ut saltem unam animam trahere potuisset ad Christum; nec de ullo suo æmulo vindictam facere volebat. Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione, & repressione ipsum potius accendi contingeret; carnem ipsam, quam asidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrænem ipsius libidinum artem abstinentiæ fræno coercuit, ut non propriæ voluntatis ducta remigio, sed salubri moderamine spiritus tutè licita perageret, & prorsus ab illicitis abstinere delicias. Etenim corpus macerabat jejuniis, præcorum observantiæ a Sanctis Patribus ordinatæ novorum austeritatem adiciens, sibi motu propriæ voluntatis inducto. Nam per totum Adventum, & singularum septimanarum sextam feriam, & cunctis aliis temporibus jejunium observabat: in multis interea orationibus se occupabat, ne aliqua sibi hora temporum inutiliter pertransiret, paramentis aliquibus sub genua non utendo, imò quamplurimum vestes proprias admovebat. Et dum consilio Ducis Calabriæ præfuit, petitiones pauperum interim promovebat, quod omnes ipsum advocatum pauperum nominabant.

Miracula.

§. 3. Hic insuper vitæ sibi puritate perucidus, humilitate præclarus, & sincerus veritatis amicus, ac cuncta eloquia ipsius virtutis augmentum, operaque salubria hortabantur, demulgebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem salutarem multipliciter redundabant. Quandam enim Mulierem, quæ per totum annum, & amplius, toto corpore impotens fuerat, & aliquibus sui corporis partibus adeo desiccata, ut lignum aridum videretur, & quæ, postquam Sanctus ipse migravit ad Christum, ad ejus tumulum se deferri fecerat, ad dicti Sancti invocationem subito fuisse curatam, dubium non existit. In signum hujusmodi, mulier ipsa domum suam propriis pedibus est reversa. Quidam etiam casualiter in uno fossato undique subtus terram prostratus, ita quod aliquis ad ipsum nullo modo pervenire poterat, postquam ibidem tamdiu steterat, quod naturaliter vivere non debebat, ad prædicti Sancti invocationem a morte exstitit præ-

præservatus. Itum enim Sanctum dilexit Dominus, & in fine consortio hæreditatis elegit, perennis quoque diademate gloriæ decoravit, & ut ejus nomen extolleretur laudibus populorum, tam in ejus vita, quam postquam, ut præmittitur, feliciter migravit ad Christum supernis deliciis fruiturus, ipse opifex Dominus, in Sanctis suis verè mirabilis, eundem Sanctum aliorum quamplurimum, & variorum splendore miraculorum illustravit, manifestè demonstrans, quantum sibi honoris, & reverentiæ deberetur.

Eum Urbanus Prædecessor Sanctis adnuotare stituerat.

§. 4. Unde præfatus prædecessor de hujusmodi acibus dicti Sancti, & m raculis habita fide, dignis probatioibus, quantum nosse sinebat ipsa fragilitas, certitudine veritatis multorum Prælatorum, & aliorum circumspetarum personarum solem ibus precibus pluries excitatus, ipsum Beatum Elzearium de Fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ejus, atque sua, choro beatorum a Domino ineffabili sanctificatione susceptum, cum solemnitate celebri Sanctorum catalogo, videlicet decimo septimo Kalendarum Maii, Pontificatus sui anno septimo, duxit adscribendum. Et ut devotis laudibus extolleretur in terris, quem ipse dominantium Dominus hoc orari voluerat in excelsis, festivitatem Confessoris ejusdem die vigesima septima Mensis Septembris, quo migravit ad Dominum, cum debita reverentia voluit celebrari; quoque etiam, ut ad Ecclesiam Fratrum Minorum, ubi corpus ejusdem Sancti venerabiliter requiescit, ferventius, & copiosius fidelium confluat multitudo, & celebri ejusdem solemnitate peragatur, omnibus verè penitentibus, & confessis, qui reverenter illuc in eodem Feito annuatim accesserint, ejus suffragia petitori, de omnipotentis Dei misericordia, & ipso rum beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus actoritate confusus, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis penitentis misericorditer relaxavit.

Ejus sepulchrum visitantibus concessit indulgentias.

Gaudia pro his proponit Gregorius.

§. 5. O quam laudabilis, o quam mirabilis providentiæ divinæ sublimitas, & impenitas retributionis æternæ, quam sibi ferventibus inestimabile præmium compensatur! O felix donum ex summo bono proveniens, & in Christo consistens, quo cum beatissimis spiritibus in præsentia conditoris quis existere meruit, & incircumscripti splendore luminis illustrari! O felicissima fertilitatis ager fructus uberes proferens, ubi flores prodeunt, nec arefcunt, ubi semina sparsa non pereunt, & ubi multiplicatis manipulis grana gloriæ colliguntur! Hic nempe confessor almus hunc agrum obsequiosus excoluit, in eo virtutum spargere semina studuit, ac vitæ talia grana colligere meruit post labores. Exultet igitur mater Ecclesia, & solemnna festiva celebret gaudiorum, quæ tantum & talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, jam inter regum gloriosa cælestium agmina rutilantem, lætetur, inquam, & jubilet ac in laudes Altissimi voces promat, quæ sobolis tam præ-

celse, tam celebris illustrata fulgoribus insignis decorata conspicitur, quæ sonoris attollendo præconiis, summæque venerationis exhibitione colenda eminentius aperit, evidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hæreditatis æternæ participium admittendos, qui prædictam Ecclesiam Matrem sponfam Fidelium Christi claris fidei, & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per ejus utpote cælorum clavigeri, ministerium virtuosum ostis referatis Altissimus introire permittit. Gaudeant insuper turbæ cælestium de tam sublimis, tam lucidi habitatoris adventu, quodque ipsis expertus, probatusque fidei Christianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Perfonet letitig jubulum civium generosa nobilitas supernorum, quod tanti, talisque comitis suscipisse dignoscitur adiektivum, ac venerabilis Sanctorum catus gaudio, & exultatione refloreat de nova dignissimi habitatione confortis. Exurge igitur numerosi fidelium turba, exurgite fidei zelatores, & una cum eadem etiam laudis uberis hymnum concinite, perfundantur imbre copioso letitiæ nostra precordia, & sacundæ roredulcedinis arcana pectoris repleantur de tanta, & tam potentis, & egregii Principis exaltatione, terrene spei tutissime plenitudine percepta, quod nobis de condigena terrenorum compatriota cælestium jam effectus apud æterni Patris filium efficax patro us accrevit, qui pro salutis nostræ profectibus jam in ejus præsentia positus, solertis exercet officium oratoris.

Testimonium præclare ab Urbano rei.

§. 6. Verum, ne pro eo, quod ejusdem prædecessoris superveniente obitu literæ Apostolicæ super præmissis confectæ non fuerint, de eis valeat aliquatenus hesitari, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentibus literæ ad probandum plene præmissa omnia per prædictum prædecessorem, ut præmittitur, acta ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Clausula.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & constitutionis infringere &c. Datum Avenione nonis Januarii Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. die 5 Januarii 1371. An. I.

I I.

Basilicæ Santæ Mariæ Majoris de Urbe penè collabenti pro reparatione impendenda Ecclesiam Sancti Lucae juxta dictam Basilicam existentem unit, & annectit.

Ex eodem Regest.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea ex Apostolicæ servitutis officio libenter intendit, per quæ Ecclesiarum utilitatibus providetur.

§. 1. Cum itaque Ecclesia sive Curia San-

Causa facienda concessio- nis.

Sancti Lucae sita iuxta Ecclesiam Sancte Mariae Majoris de Urbe, quam Venerabilis Frater noster Stephanus Episcopus Brixien- sis tempore promotionis per nos factae de ipso ad Ecclesiam Brixensem tunc vacan- tem obtinebat, per huiusmodi promotionem & munus consecrationis eidem Stephano de mandato nostro apud Sedem Apostolicam impensum vacaverit, & vacet ad presens Nullusque praeter nos hac vice de dicta Ec- clesia Sancti Lucae disponere poterit, ne- que possit, pro eo quod nos diu ante va- cationem huiusmodi omnes Ecclesias, cete- raque Beneficia Ecclesiastica, tunc apud Se- dem praedictam vacantia, & in antea vaca- tura collationi, & dispositioni nostrae refer- vantes, decrevimus ex tunc irritum, & ina- ne, si secus super his a quoquam quavis au- thoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Et sicut accepimus in dicta Ec- clesia Officia Divina minime celebrentur, dictaque Ecclesia Sanctae Mariae minetur rui- nam, & ad eius reparationem propterea ipsius Ecclesiae non suscipiant facultates.

Concessio, de qua in rubrica.

§. 2. Nos dilectorum Filiorum Prioris & Capituli Ecclesiae Sanctae Mariae supra- dictae, quae secularis est, supplicationibus inclinatis praedictam Ecclesiam Sancti Lucae vacantem, cuius fructus, redditus, & proventus duodecim florenorum auri vel circiter valore, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus Juribus, & Pertinentiis suis eisdem Priori, & Capitulo, ac Ec- clesia Sanctae Mariae Majoris ex nunc auctori- tate Apostolica Incorporamus annectimus perpetuo, & unimus.

Capitulum S. M. M. in pos- sessionem Ec- clesiae datae immitten- dum.

§. 3. Itaque liceat eisdem Priori, & Ca- pitulo corporalem possessionem Ecclesiae Sancti Lucae, Juriumque, & pertinentiarum praedictorum per se vel alium seu alios au- thoritate propria apprehendere, & tenere, ipsamque Ecclesiam Sancti Lucae licite in perpetuum retinere: fructusque ipsius in uti- litate ipsius Ecclesiae S. Mariae Majoris committere cuiuscumque licentia minime requisita.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus felicis recordatio- nis Urbani Papae V. Praedecessoris nostri, & aliis Constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque: seu si aliquis super provisio- nibus sibi faciendis de huiusmodi Ecclesiis, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in aliis par- tibus speciales, vel generales Apostolicae Sedis, vel Legatorum eius litteras impe- traverit: etiam si per eas ad Inhibitionem, Reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem li- teras, & processus habitos per easdem ad dictam Ecclesiam Sancti Lucae volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad as- secutionem Ecclesiarum, & Beneficiorum, aliorum praedictorum generari, ea quibuslibet Privilegiis Indulgentiis, & literis Apo- stolicis generalibus, vel specialibus, quo- rumque tenorem existant, per quae pre- sentibus non expressa, vel totaliter non in- ferta effectus praesentium impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus, quo- rumque totis tenoribus de verbo ad verbum

habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim, prout est, irritum decernimus, & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter at- tentatum forsitan est haecenus, vel impostherum contigerit attentari.

Clause:

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae incorporationis annexionis, unionis, voluntatis, & consti- tutionis infringere &c. Datum Avinioni septimo Kalendas Novembris Pontificatus nostri anno Primo.

Dat. die 16. Octob. 1371. An. I.

I I I.

Beneficia per obitum Familiarium S. R. E. Cardinalium vacantia, & quibusvis Per- sonis collata, nisi in literis provisionis eorumdem de familiaritate huiusmodi mentio fiat, vacare decernit.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Ex eodem Re- gis.

Exordium.

Romani Pontificis providentia cir- cumsperta ad ea libenter inten- dit, per quae Sanctae Romanae Ecclesiae Car- dinalium deseritur honori, & in hiis, quan- tum potest, partes suae sollicitudinis inter- ponit.

Causa Decre- ti.

§. 1. Cum itaque nonnulli quamplura Canonicatus, & Praebendas, ac Personatus, dignitates, & Officia, aliaque Beneficia Ec- clesiastica secularia, & regularia cum cura, & sine cura per obitum familiarium, continuorum commensalium praedictorum Cardinalium, seu aliquorum ex eis vacan- tia, vel certo modo expresse vacatura a Nobis impetrent, de huiusmodi familiarita- te non habita mentione.

Decretum.

§. 2. Nos in praemissis providere volentes, Auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus, collationes, provisiones gratias, & mandata quaecumque de Canonicatibus, & Praebendis, ac Dignitatibus, Personatibus, vel Officiis, aut aliis Beneficiis Ecclesiasticis quibuscumque secularibus, & regularibus cum cura, & sine cura, quae per cessum, vel decessum, aut alias quo- rumcumque familiarium dictorum Cardina- lium continuorum commensalium jam vacarunt, per inadvertentiam per Nos facta, & in posterum facienda, fore surreptitia, ac nullius roboris, vel momenti, ac irritum de- cernimus, & inane, quidquid contra decla- rationem nostram huiusmodi a quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter at- tentatum forsitan est haecenus, vel impostherum contigerit attentari.

Clause:

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, Decreti, & voluntatis infringere &c. Datum Avinioni quarto Idus Decembris Pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 10. Decemb. 1371. An. I.

IV.

Quod Ecclesia S. Joannis in Laterano de Urbe supremum locum tenet super om- nes Ecclesias Urbis, & Orbis. (a)

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Promium.

Super universas Orbis Ecclesias Ro- manus Pontifex a Domino consti- tutus circa ea, de quibus dubitari dicitur, ut evitari possint quaecumque dispendia, declarationis, ubi expedit, suae provisionem adicit, prout fore consuevit opportunum.

Dubitatum a non ul- tis de hac praerogativa.

§. 1. Sane dudum dum minori fugebamur officio, percipimus quod de Ecclesia Lateranense (quam cl. me. Constantinus fidelissi- mus Imperator, in Lateranensi Palatio suo miraculose mundatus a lepra, & sacri ba- ptismatis fonte renatus, construxit sub vo- cabulo Salvatoris, statuens quod ex tunc libera esset unicuique potestas per Urbem, & Orbem Ecclesias construendi, quod antea Imperialis prohibitio inhibuerat) a quibus- dam curiosis dubitabatur, ac etiam in praesenti in dubium revocatur, si ipsa in Urbe, & Orbe terrarum, praeminentiam, ac ho- noris praerogativam a Romana Ecclesia, & a cunctis Christianis obtinere debeat potio- rem.

Declaratio de qua in ru- brica.

§. 2. Nos igitur volentes huic dubio fi- nem imponere, & super hoc amputare ma- teriam haesitandi, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus, decernimus, ac etiam definimus, Sacrosanctam Lateranen- sem Ecclesiam praecipuum Sedem nostram, inter omnes alias Urbis, & Orbis Ecclesias, ac Basilicas, etiam super Ecclesiam, seu Ba- silicam Principis Apostolorum de Urbe supre- mum locum tenere. Eamque de iure ma- iorem omnibus aliis Ecclesiis, ac Basilicis supra dictis, ac super omnes & singulas praefatas Ecclesias, seu Basilicas prioritatis, di- gnitatis & praeminentiae honore letari. Et si quid contra huiusmodi nostram declarati- onem, determinationem, ac definitionem, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno- ranter attentatum fuerit, id irritum decerni- mus, & inane.

Dat. die 23. Januarii 1372. An. IV.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, consti- tutionis, & definitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc artentare praesumpserit, indignationem omni- potentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Avinionis X. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno secundo.

(a) Huic Ecclesiae centenariam tantum praescriptionem op- poni posse. Ratus Honorius III. Constit. LIII. Tom. III. P. I. p. 21. Bullas autem, quas Martinus V. & Pau- lus II. Primatum super exteras Orbis & Urbis Ecclesias ob- tinere voluerit, consilio cum Cherubino omni utpote Consi- tutionis Gregorianae confirmatorias duntaxat.

V.

Quod Praelati, Abbates, & alii Beneficia Residentialia obtinentes in Ecclesiis eor- um Residentialiam facere omnino tenean- tur.

Ex Reges. Vatic.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Sollicitudo Ecclesiarum omnium, quibus disponente Domino licet in- sufficientibus meritis praesidemus, animum nostrum iugiter pungit, & excitat, ut illa- rum occurramus dispendiis, & prout No- bis ex alto conceditur, utilia procuramus.

Mala ex ne- gligentia re- sidentia ob- orta aegre re- censet.

§. 1. Sane considerantes attente, quod Ecclesiarum, & Monasteriorum Praelati, ac Rectores ad hoc in eis sunt positi, ut in illis personaliter resideant, & commissos eis gruges pascant pabulo verbi Dei, divinis vacent, & faciant vacare officiis, errata cor- rigant, prava compescant, deformata re- forment, gubernent temporalia bona ipsorum, & Pauperum usibus deputata, aliaque in- cumbentia ipsis supponent onera, & Mini- stria exequantur. Mirari admodum cogi- mur, & dolere, quod nonnulli ex eis non sine gravi Dei offensa postposita verecundia obauditis iustis suorum lamentationibus sub- ditorum, de damnisque suarum Ecclesiarum multiplicibus tam spiritualibus, quam tem- poralibus, non curantes Sponsas suas tanto derelinquant tempore, quod quasi viduae reputantur, Curiamque Romanam non pro ipsa- rum Ecclesiarum necessitatibus, aut nota- bilibus & veris utilitatibus, sed exquisitis occasionibus frequentare praesumunt, ex quibus animarum pericula, pollutatio vitio- rum, dissolutorum morum incorrectio, di- minutio divini Cultus, Ecclesiasticorum, Aedificiorum ruina, & lapsus rerum, popu- lorumque scandala, aliaque mala plurima provenire noscuntur.

Archiepisco- pos Episco- pos, &c. ut intra praesenti- bus annis ad residen- tiam acced- ant, moveat.

§. 2. Nos igitur tot, & tantis malis, & periculis congruis obvare remediis cupientes, unum versos, & singulos Patriarchas, Ar- chiefiscopos, & Episcopos, Abbates, Ele- ctos, Priores, Decanos, Praepositos, ac Ar- chidiaconos quaecumque Ecclesiarum, ac Monasteriorum, ac Prioratum, alio- que majores in Cathedralibus post Pontifi- cales, & Principales in Collegiatis Ec- clesiis Dignitates obtinentes quocumque nomi- ne nuncupentur, tam seculares quam regu- lares, nec non Parochialium Ecclesiarum Rectores in Curia praedicta, vel prope illam per duas decas non tamen in locis Ec- clesiarum, & Monasteriorum suorum moran- tes ad praesens exceptis hiis, quos ad nos- tra, & Romanae Ecclesiae retinemus ob- sequia per nos nominatim declarandis, auctori- tate Apostolica tenore praesentium man- damus, eis districte praecipiendo mandan- tes, quatenus usque ad Festum Resurrectio- nis Dominicae proxime secuturum recedant de Curia praelibata, ad commissas eis Ec- cle-

V I.

Damnatio quorundam Statutorum in Regno Aragonie per que Ecclesiarum libertas, & Ecclesiasticarum Personarum bona, affliciebantur.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SI quis culpas delinquentium pena sineret impunitas, ausus malignandi succresceret, & mali prohibitio nulla esset.

§. 1. Sane nuper relatione fide digna ad nostrum non sine mentis turbatione pervenit auditum, quod in Terris Carissimi in Christo Filii nostri Petri Regis Aragonum illustris dominio, & ditioni subiectis nonnulli temporale dominium habentes, vero gerentes officia Secularium Potestatum suis terminis non contenti libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam pretertextu quorundam statutorum cadere multipliciter non verentur: asserunt etenim inter hujusmodi statuta unum esse, quod de Sono emisso intulit, & ejus vigore ipsi licere, dum aliquis malefactor fugiens, ne capiatur ab Officialibus Secularis Justitie, receptari in Castro aliquo seu Fortalitio, si habentes Castra seu Fortalitia custodiam requisiti eum restituere noluerint, Castrum hujusmodi insultare, capere, ipsum funditus destruere, bona mobilia in eo existentia in pradam adducere, & exterius per totum Territorium Fortalitii, sive Castri predicti tam in bonis immobilibus, quam mobilibus vastum facere, & hujusmodi statuti pretertextu Castra, Villas, seu loca Ecclesiarum, Prælatorum, seu aliarum Ecclesiasticarum Personarum per se, seu alios diruunt, vastant, & destruunt; bonaque etiam mobilia eorumdem occupant, & aportant, possessionesque dictorum Prælatorum, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum, et aliorum incolarum, & subditorum Castrorum predictorum vastant, & penitus destruunt.

§. 2. Etiam aliud asserunt Statutum, quod Pacis, & Tregue intulit, cujus vigore dicunt eis licitum esse, dum aliquis ad alterius querimoniam per literas Justiciarii Secularis monitus, ut conquerenti de debito vel delicto infra quindecim dies satisfaciat, infra eosdem quindecim dies non satisfecerit, damnum datum non emendaverit, vel saltem coram dicto Justiciario Seculari non comparuerit, et pignora pro satisfactione facienda in manu, et posse dicti Justiciarii realiter, & de facto posuerit; ex tunc lapsis dictis quindecim diebus sic monitus a Tregua, & Pace cum publica præconizatione eicere, et postquam sic ejectus fuerit, damnum quodcumque ei tam in persona, quam in bonis impune dare, et alias diversimode contra eum, & ipsius bona procedere; Et hujusmodi secundi statuti pretertextu Prælatos, cæterasque Personas Ecclesiasticas etiam cum præconizatione publica

Ex Reg. eadem.

Primum Statutum.

Alterum Statutum.

Recens de Ecclesiis, vel Beneficiis pro viti quoto tempore in Curia morari possint.

Impedit, causas legitimas pp. debent ostendit.

Inobedientes anathemati subiecti.

Clausula.

Dat. die 24. Januarii 1372. An. II.

ca non absque Dei gravi offensa, et enormi læsione ecclesiasticæ libertatis a Pace, et Tregua eiciunt, capiunt, interficiunt, et alias in Personis, & bonis damnificant, nec possunt seu audent per aliquos Barones, Nobiles, seu alias personas Ecclesiasticas vel seculares, seu per communia Civitatum, Universitates Castrorum, & Villarum subfineri, receptari, seu aequaliter defendi.

Tertium Statutum.

§. 3. Aliquando vero cum Prælati, five alie personæ Jurisdictionem Ecclesiasticam obtinentes, seu eorum, vel alicujus eorum Vicarii, vel Officiales, Missi, vel Exequutores in aliquos obtinentes dominium temporale, seu Officiales, seu Servitores eorum excommunicationis, aut in Terris eorum, Dominio, seu ditioni, aut gubernationi subiectis Interdicti proferunt sententias, seu a Jure, vel Provincialibus Conciliis, aut Synodalibus Constitutionibus promulgatis publicant, & observant, ac ab aliis publicari, & observari faciunt; dicti Domini Temporales, aut Officiales eorum Castra, Domina, & alias Possessiones, ac Jura, & Jurisdictiones temporales ipsorum Prælatorum, seu Ecclesiarum, & Monasteriorum, Religiosorumque Locorum, etiam quod deterius est, libera, & allodialia, & que ab eis in Feudum, seu alias non tenentur, ad manus suas capiunt, occupant, & sarcunt pro sue libito voluntatis.

Quartum Statutum.

§. 4. Nonnunquam etiam ob præmissa, seu alio exquisito colore fingentes Prælatos, seu Personas alias Ecclesiasticas esse sibi suspectas, a Terris, & districtibus, quibus suo, vel alio nomine dominantur, ipsos expellunt seu bandiunt, & interdum generaliter, nonnunquam vero specialiter cum voce præconia, & quandoque sine ea inhibent suis subiectis, aut suo commissis regimini, ipsorum Prælatorum, aut aliarum ecclesiasticarum personarum Nominibus, & cognominibus dumtaxat expressis, clericatu, & aliis titulis, per quos pollet cognosci, quod essent Personæ Ecclesiasticæ in fraudem, & dolose supprellis: quod eis de suis debitis, aut rebus aliis, in quibus tenentur eidem, si sunt efficaciter obligati, non respondeant, aut faciant, seu permittant ab aliquo responderi: & interdum præmissa seu eorum aliqua fieri mandant, seu consulunt, factaque nomine suo rata, & grata habent, & ea facientes, seu fieri mandantes sustinent, & defendunt.

Ex vi horum Statutorum vim aliquam injuriam &c. Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis inferri verant Pontifex.

§. 5. Cum igitur manifestè Deo irrogentur injuriæ, cum Ecclesiæ, Monasteria, & alia Pia loca, in quibus ejus laudibus deferuntur, gravibus perturbantur Injuriis, ac Clerici, & alie Personæ ecclesiasticæ premuntur onere servitutis, ac nulli super iis deferendum sit honori, que præjudicant ecclesiasticæ libertati; Nos attendentes præmissa contra præfatos clericos, ceterasque Personas Ecclesiasticas, Ecclesias, Monasteria, & alia Religiosa, & Pia loca, eorumque bona aequaliter dictorum statutorum vigore, vel alias fieri non licere; auctoritate apostolica de Fratrum nostrorum consilio hac Constitutione districtius inhibemus, ne alii

quis Dominus temporalis seu exercens sub quovis nomine, seu titulo alicujus domini temporalis Justiciariam, seu quamvis aliam potestatem, aut quivis alius ipsorum nomine, vel mandato dictorum Statutorum vigore ipsorum Prælatorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, seu aliarum ecclesiasticarum personarum Castra, Fortalitia, seu munitiones quaslibet insultet, capiat, diruat, seu alias damnificet, ipsorum Prælatorum, Clericorum, & aliarum Ecclesiasticarum Personarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum bona mobilia capiat, in prædictam abducat, seu quomodolibet aportet: Territoriaque ipsorum Prælatorum, aut aliarum ecclesiasticarum personarum, seu Castrorum ac Fortalitiorum pertinentium ad eosdem destruat, diripiat, seu vastum faciat in eisdem, Prælatosque seu Clericos vel alias personas ecclesiasticas ad querimoniam seu requiitionem, cujusvis, sive alias pro quacumque causa civili, sive criminali, civiliter vel criminaliter intentanda, vigore prædicti statuti, aut alio quovis loco, seu causa a Tregua, & Pace quomodocumque eiciat, ipsi, vel suis in personis, vel bonis injuriam inferat, seu pena aliqua punire præsumat.

§. 6. Et quia præmissi excessus eo sunt avius corrigendi, quia talia præsumentes sub specie cujusdam simulate Justitie sibi præmissa licere contendunt, & eam sub dictorum statutorum velamine palliant; decernimus omnes, & singulos cujuscumque status, dignitatis, aut conditionis existant, etiam regali vel alia quavis præfulgeant dignitate, qui præmissos insultus, captiones, depredationes, vastationes, a Tregua, & Pace ejectiones, iniuriarum in personis & rebus illationes facere, seu attentare præmissorum statutorum occasione, necnon eos, qui pro eo, quod ipsi auctorum officialium familiares, seu subditi excommunicantur, aut terre ipsorum, seu alicujus eorum Interdicto subiciuntur, declarantur, & publicantur, Castra, possessiones, jura, bona, seu temporales jurisdictiones Prælatorum sententias hujusmodi proferentium, seu quorum auctoritate, aut ad quorum Instantiam sunt prolatae, capere, occupare, seu facere; aut etiam suos in Personis, vel bonis aequaliter aggravare, eos etiam, qui Prælatos ipsos, Clericos, seu alias ecclesiasticas personas de terris suis, aut sibi subiectis, seu suo commissis regimini expellere, seu bannire præsumperint, aut mandaverint, seu præmissa vel aliquod præmissorum facta suo nomine rata habuerint, seu fecerint, consilium dederint, aut favorem, seu eos postea scienter præsumperint defendere; si Personæ fuerint singulares excommunicationis, si vero Commune alicujus civitatis, Universitatis, Castra aut Ville, interdicti sententia subiacere eo ipso, a qua excommunicationis sententia, si in ea per mensem permanerint non possint ab alio, quam a Romano Pontifice præterquam in mortis articulo, nec tunc nisi gravaminibus ipsis effectualiter revocatis, si poterunt, & plenaria satisfactione de damnis, injuriis, & interesse prius facta, aut cautione sufficienti de inter-

Spirituales Pace contra inobedientes.